

benda est ad somnum culcitra in quâ homo qui tantum debebat dormire potuit."

EXERCITATIONES campestres equorum et armorum statim post bella civilia omisit, et ad pilam primò folliculumque transiit: mox animi laxandi causâ, modò piscabatur hamo, modò talis nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles undique conquirebat. Alea multum delectabatur; idque ei vitio datum est. Tandem afflictâ valetudine in Campaniam concessit, ubi remisso ad otium animo, nullo hilaritatis genere abstinuit. Supremo vitæ die, petitio speculo, capillum sibi comi jussit et amicos circumstantes percontatus est, num vitæ minimum satis commodè egisset: adjecit et solitam clausulam: " Edite strepitum, vosque omnes cum gaudio applaudite." Obiit Nolæ sextum et septuagesimum annum agens.

*FINIS.*